CASUS

DE

ROMANI PONTIFICIS

INFALLIBILITATE



MONTEREGALI

APUD JOSEPH BIANCO IMPRES. EPISC.

MDCCCLXX.

PROPRIETAS.

ILL.mo AC REV.mo D.o D.o

F.RI JOANNI THOMÆ GHILARDI

EPISCOPO MONTISREGALIS

Ex literis Tuis dat. Romae die 24 mart. 1870 comperi, opportunum Tibi videri, ut Casus de Romani Pontificis infallibilitate in Collationibus Theologicis Cathedralis Ecclesiae Monregalensis nuper resolutus vulgaretur. Consiliis Tuis libenti animo obsequens, illum typis committo.

Tibi adprecor a Deo omnia fausta atque salutaria.

Monteregali, die 2 aprilis 1870.

Addict.mus Obsequent.mus

Theol. Canonicus **STANISLAUS EULA**

Collationum Theologicarum Director.

CASUS

DE

ROMANI PONTIFICIS

INFALLIBILITATE



Concilium Vaticanum a Pio IX indictum, quod nunc Romae celebratur, nulla nova dogmata condere aut proponere potest, inquit Ermesius, quum post Apostolos nulla amplius Ecclesiae facta fuerit Divina Revelatio, ex qua sola nosse possumus, quid sit fide Divina credendum. Hinc frustra exoptatur, ut Romani Pontificis ex *Cathedra* loquentis infallibilitas, tamquam fidei articulus a Concilio cudatur; doctrina enim de Pontificia infallibilitate nullum fundamentum habet neque in Sacris Bibliis, neque in Traditione, quum sive antiquioribus sive posterioribus saeculis illa fuerit ignota. Igitur nil mirum si in Galliis contraria doctrina semper universim viguerit, atque anno 1682 prodierit celebris illa *Cleri Gallicani Declaratio*, cuius articulus quartus enunciat: *In fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pontificis*

esse partes, eiusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit. Quare Vaticanum Concilium operam potius dare deberet, ut, quod in votis omnium est, Romanus Pontifex cum hodierno progressu, cum liberalismo, et recenti *civilitate* se se reconciliet et componat.

Quaeritur 1. Quid sit Dogma Catholicum?

Q. 2. Quid requiratur ad Dogma Catholicum constituendum?

Iudicium firmis rationibus innixum feratur de singulis quae asserit Ermesius.

RESOLUTIO

Resp. ad Q. 1. Dogma Catholicum est doctrina et veritas divinitus revelata, quae publico Ecclesiae judicio fide Divina credenda proponitur.

Resp. ad Q. 2. Ad dogma catholicum constituendum duo coniunctim requiruntur: 1. Ut doctrina sit revelata a Deo per Christum, Prophetas, Apostolos, seu auctores canonicos sive contineatur in Sacris Scripturis, sive in divina Traditione; sola enim divina Revelatio fidem divinam fundat, quia fides divina est credere propter auctoritatem Dei revelantis, in quam solam tota resolvitur. Hinc Apostolus (Cor. 10 - 17): *fides ex auditu. auditus autem per verbum Christi.* — 2. Ut sit ab Ecclesia proposita fide Divina credenda. Quamvis enim verbum Dei non egeat verbo Ecclesiae, ut sit verbum Dei, atque ex se plenam vindicet auctoritatem et fidem, quum primum innotescit, egemus tamen nos testimonio et verbo Ecclesiae, ut certi simus esse revera verbum Dei et non hominis id quod nobis tamquam verbum Dei proponitur credendum. Ex hoc autem non sequitur, verbum Dei a verbo hominis recipere approbationem, sed potius testimonio Ecclesiae ex verbo Dei infallibilis cognitionem nostram et fidem confirmari, quod hoc sit

verbum Dei, ac genuinus eiusdem sensus. Quum enim Christus Ecclesiae promiserit perpetuam adsistentiam Spiritus Sancti, qui doceat eam et ducat in omnem veritatem, haec nunquam deficere potest, neque aliquid docere tamquam revelatum, quod tale reipsa non sit. Haec fuit semper SS. Patrum doctrina constanter asserentium nonnisi per Ecclesiam tuto cognosci posse veritates revelatas fide Divina credendas: Hinc Augustinus: *Ego Evangelio non crederem, nisi mè Ecclesiae Catholicae auctoritas commoveret.* (1)

Hisce praeiactis, facile est iudicium ferre de singulis, quae asserit Ermesius. Et in primis verum est «Concilium Vaticanum nulla nova dogmata con» dere aut proponere posse» obiective et *in se*. Etenim ad dogma Catholicum constituendum, prout superius diximus, requiritur, ut doctrina sit per auctores canonicos divinitus revelata; quum autem post Apostolos nulla amplius Ecclesiae facta fuerit nova Divina Revelatio, quae ad omnes fideles pertineat, ex eo tempore nullum Christianae fidei deposito additum est novum dogma; ac proinde Concilium Vaticanum nulla nova dogmata obiective et *in se* condere aut proponere potest. Hoc tamen non impedit quominus Concilium sine ullo erroris periculo definire et decernere valeat quaecumque dogmata scitu necessaria aut utilia sint fidelibus, quoties ista per rectam interpretationem deduci possint tamquam praeexistentia in revelatis per Scripturas Sacras, aut per concordem et antiquam

(1) Lib. contr. ep. fund. cap. 5.

Traditionem ad nos transmissa. In hisce autem definitionibus Concilium novas veritates aut nova fidei dogmata non condit aut proponit, sed vetera eruit, repetit, obscura explicat, et eadem quae Christus tradidit, defendit; uno verbo declarat quasdam veritates esse a Deo revelatas, utpote contentas in Verbo Dei scripto aut tradito, atque de perpetua earumdem existentia fideles certos reddit, easque explicite credendas proponit, quae antea credebantur tantum implicite, quia nondum omnibus constabat contineri in Sacra Scriptura, vel Traditione. Itaque dogmata, quae ad fidem spectare Concilium definit, sicuti alia quae fuerunt praecedentibus temporibus ab Ecclesia definita, ad fidem semper spectarunt, seu fuerunt semper dogmata fidei *in se*, ut loquuntur scholae; licet talia non essent quoad *nos*, quia non satis de eorum revelatione omnibus constabat, donec, data occasione, re ab Ecclesia discussa, in omnium fidelium notitiam revocata sunt, et in suo sensu liquido exposita. Spiritus Sanctus vero, secundum Christi promissa, semper adfuit, atque adfuturus est judiciis Ecclesiae, non ut novae revelationes fiant, aut nova dogmata per ipsius Ecclesiae vocem revelentur, sed ut, dum Sacrae Literae, et antiqua Traditio diligenter consuluntur, recta interpretatio ab Ecclesia fiat, et nullus error in eamdem subrepat.

Non diffitemur « post Apostolos nullam amplius « Ecclesiae factam fuisse Divinam Revelationem. » Etenim Christus omnia, quae audivit a Patre nota fecit nobis, iussitque Apostolos docere gentes omnia

quaecumque ipse mandavit. Revelationes autem, quas post Apostolorum tempora contigisse narrant Sancti ac probatissimi Patres, easque non inanes neque confictas fuisse experientia comprobavit, ad facta solum peculiaria, et ad quorumdam fidelium utilitatem et solatium, non autem ad universam Ecclesiam neque ad certam dogmatum fidem pertinent. Quidquid enim Deus per Filium suum, per Prophetas, per Apostolos non revelavit, fidei Catholicae dogma non constituit. Hic fideles dicuntur a Paulo *superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* (1)

Ad illud, quod addit Ermesius « ex sola Divina » revelatione nos nosse posse quid sit fide Divina » credendum » respondemus, ut nosse possimus quid sit fide Divina Catholica credendum, esse quidem necessariam Divinam Revelationem; at requiri magisterium Ecclesiae ex ipso Dei Verbo infallibilis, ut certo omnibus constet, doctrinam quae tanquam divinitus revelata proponitur, talem revera esse, non humanam, ac praeterea genuinus eiusdem sensus ipsius Ecclesiae oraculo aperiatur.

Nullo modo inferre potest Ermesius « frustra exo- » ptari ut Romani Pontificis *ex Cathedra* loquentis » infallibilitas, tanquam fidei articulus a Concilio Va- » ticano cudatur.» Si enim haec doctrina in Verbo Dei Scripto vel Tradito fundamentum habeat, prout in utroque fundamentum habere infra ostendemus,

(1) Eph. 2.

atque fidelium necessitas, vel utilitas id postulet (quod Concilii Patribus iudicandum relinquimus), nihil obstat, quominus tanquam fidei articulus a Concilio Vaticano definiatur (1).

(1) Romanum Pontificem dicimus loqui seu docere *ex Cathedra* cum ut supremus Ecclesiae Pastor et caput aliquid proponit toti ecclesiae in rebus fidei et morum, obligans omnes fideles sub poena haereseos ad illud fide divina credendum. Huius generis sunt omnia exempla antiquarum definitionum Innocentii I contra Pelagianos, Caelestini I contra Nestorium; Leonis I contra Eutychen; Agathonis I contra Monothelitas, et sic deinceps. Hinc Romani Pontificis facta personalia, opiniones particulares, privata aut publica eiusdem dicta, responsa, rescripta aliaque id genus plurima, quamvis pro summa auctoritate ex qua dimanant, magni sint aestimanda et cum obsequio et veneratione excipienda, tamen non constituunt definitionem *ex Cathedra*, de qua loquimur, et pro qua sola Romani Pontificis infallibilitatem propugnamus. — Operae pretium est hac in re notare quod, cum portae inferi praevalere nequeant neque adversus Ecclesiam, neque adversus petram supra quam aedificatur Ecclesia, fieri numquam poterit ut verbis Petri non uniatur episcoporum consensus: aliud tamen est quod hic consensus revera adsit, aliud est quod requiratur tamquam conditio, unde iudicium Petri confirmetur et plenum robur accipiat. Quare Romanus Pontifex *ex cathedra* definiens ex se solo antecedenter et independenter ab episcoporum consensu infallibilitate pollet. — Cons. Billuart. Diss. IV de Sum. Pont. art. V. — Ballerini *De vi et ratione Prim.* cap. XV. n. 24. — Perrone Praelect. Theol. Vol. II, pars 1, sect. II, cap. IV. — Perrone *De Divinitate D. N. I. C. vol. III. p.* 186. — Synopsis *de infallibilitatis Romani Pontificis definitione*, Augustae Taurinorum 1870. — Collectio Casuum *de re Dogmatica etc. qui resolvebantur in publicis Collationibus Theol. habitis in Eccl. Cathedrali Montisregalis* pag. 281 et seqq.

★

Negamus « doctrinam de Pontificia infallibilitate » nullum fundamentum habere in Sacris Bibliis. » Haec enim Evangelicis Oraculis innititur. Revera Christi sententia *Tu es Petrus*, *et super hanc petram* etc. (1) Romanus Pontifex, Petri Successor est imperiturae ac indefectibilis Ecclesiae fundamentum. Ergo oportet, ut ipse in fide deficere nequeat: non enim potest esse indefectibile aedificium nisi indefectibile sit fundamentum, cui superstruitur. — Iterum his verbis *Ego rogavi pro te*, etc. (2) Christus rogavit, ut Petri et Successorum fides non deficeret, eisque munus tradidit confirmandi fratres. Necesse est igitur, ut in ea re sint erroris expertes. — Itidem per haec Christi verba: *Pasce oves meas*, etc. (3) singuli Petri Successores debent ex mandato Christi, verbo pascere Ecclesiam, quae eos audire et sequi tenetur. Sed Ecclesia falsam doctrinam amplecti non potest: ergo nec illi hanc Ecclesiae proponere queunt. Sane coetui fallinescio praeesse nequit magister errori obnoxius. Itaque Divina Christi oracula Romani Pontificis Primatum simul et inerrantiam comprobant. — In contraria sententia, si nempe a recta fide deficere posset Summus Pontifex solemniter definiens, et non reliqua Ecclesia ab eo dissentiens, cuius proinde iudicio ille esset ad veritatem revocandus, non Petrus in suo Successore pasceret agnos et oves, sed ipse ab istis pasceretur; non confirmaret fratres sed a fratribus confirmaretur; non fundamentum

(1) Matth. XVI. — 18. (2) Luc. XXII. — 32.
(3) Ioan. XXI. — 15, 17.

sustineret aedificium, sed ab ipso sustentaretur; non caput seu praeses regeret Ecclesiam, sed ab ipsa dirigeretur: quae plane contraria sunt Divinae Christi ordinationi, et ipsi rerum naturae. (1)

Negamus pariter « Doctrinam de Pontificia infalli- » bilitate nullum fundamentum habere in Traditio- » ne. » Constans enim traditionalis sensus de Romani Pontificis *ex Cathedra* docentis infallibilitate constat ex Sanctis Ecclesiae Patribus (2), qui praedicta Evangelica testimonia *Tu es Petrus* etc., *Ego rogavi pro te*, etc. *Pasce oves meas* etc., de Petri eiusque successorum infallibilitate interpretantur. — Inerrantiam

(1) Cons. Ballerini *De vi et rat. primat.* cap. 12. §. 1. seqq. ubi copiose singulos hos textus evolvit.

(2) Plurimi hac in re recensentur Patres, inter quos innuere sufficiat S. Leonem M., Gelasium, Pelagium II., Vitalianum, Hadrianum I., Arnulphum, Paschalem II, Innocentium III., Origenem, Ss. Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Cyrillum, Alex., Simplicium Papam, Bernardum, Maximum Taurinensem, aliosque omnes quos reperire est apud auctores, qui data opera de hoc argumento scripserunt. — Id unum sedula animadversione dignum est, penes veteres illam iugiter dominari ideam seu notionem de infallibilitate, seu firmitate fidei quae in Ecclesia est, per Petrum seu Romanum Pontificem B. Petri successorem haberi, ita ut Ecclesia mediante Petro hac fruatur proprietate seu dote; nunquam vero apud eos reperiri oppositum, seu Romanum Pontificem Petri successorem per Ecclesiam in fide firmari, seu ad veram fidem revocari. Quod si aliquando tribuunt absolute infallibilitatem Ecclesiae, Ecclesiae nomine complectuntur caput et membra, seu Ecclesiam quatenus a suo capite regitur, seu una cum ipso integrum Ecclesiae corpus spectatur. Magnum argumentum sensus traditionalis doctrinae de Romani Pontificis infallibilitate in Ecclesia! — Cons. Bellarminum *De Summo Pontifice* lib. IV

pariter Romani Pontificis luculenter praedicant Patres cum docent communi doctrina necessitatem consentiendi et conveniendi ad Romanam Cathedram, ut quis fidelis esse possit (1); tesseram ad cognoscendum vere Catholicum consistere in profitenda fide Ecclesiæ Romanae; *quod causa finita sit ad rescriptum Romani Pontificis* (2); *ubi est Petrus, ibi esse Ecclesiam* (3); Petrum in propria Sede iugiter vivere ac praesidere, ut *praestet omnibus quaerentibus fidei veritatem* (4); ad Romanam Sedem *perfidiam habere non posse accessum*(5), aliaque id genus (6), quae luculenter infallibilitatem adstruunt Romani Pontificis *ex Cathedra* docentis. — Patrum testimoniis accedunt publica facta,

c. III. — Ballerini *De vi et ratione primatus.* — Orsi *De irreformabili Rom. Pontificis in definiendis fidei controversiis iudicio.* — Petitdidier *De auctoritate et infallibilitate summorum Pontificum.* — Perrone *Praelect. Theol.* Vol. II, p. 1. sect. II. c. 14. — Manning Arcivesc. di Vestminster *Tradizione della Chiesa intorno all' infallibilità del Romano Pontefice.* Napoli, Manfredi, 1869.

(1) Ballerini *Op. cit.* cap. 12. §. 1. n. 1. seqq.

(2) S. Augustinus *serm.* 131. n. 10, *Mirum est.*

(3) S. Ambrosius *in Psal.* 40. n. 30.

(4) S. Petrus Chrysologus *in Epistola ad Eutychen Presbyterum* cap. 2. *inter epist. S. Leonis M. edit.* Ballerin. n. 25 col. 779.

(5) S. Cyprianus *Ep.* 55. *ad Cornelium* ed. cit. p. 86.

(6) Merum figmentum est, atque omni fundamento caret distinctio, quam ad infirmandam traditionis vim nonnulli invexerunt, inter Pontificem constitutum in Petri Sede et Sedem ipsam, perinde ac si infallibilis sit Sedes, non vero Pontifex. Siquidem Sedi, Cathedrae, aut Ecclesiae Romanae, prout a Romano Pontifice distinguuntur, Christus nihil promisit,

quae eamdem antiquitus obtinuisse doctrinam manifeste ostendunt. Historia enim testatur controversias circa fidem exortas sive in Oriente, sive in Occidente ad Romanum Pontificem delatas fuisse; hunc vero ortodoxam doctrinam exposuisse, et quid credendum agendumque esset statuisse; Episcopos ipsius sententias dogmaticas summa cum reverentia semper excepisse, atque ut regulam fidei agnovisse: quovis saeculo (1) novatores a solis Romanis Pontificibus

praerogativam infallibilitatis, qua illae pollent, habent a Petro eiusque Successoribus, quibus Christus illam concessit: eaedem indefectibiles non sunt, nisi quatenus infallibilis est Pontifex in ea constitutus, sine quo Romana Ecclesia deficere potest, sicut defecerunt Antiochena et Alexandrina. Hinc Patres, Concilia et Doctores quotiescumque Sedem, sive Cathedram, aut Ecclesiam Romanam peculiaris auctoritatis, et praesertim infallibilitatis titulo extollunt, hanc a Petro eiusque Successoribus unice repetunt, atque obvia figurata elocutione Sedem pro Sedente, et Ecclesiam pro Praeside accipiunt. — Quolibet fundamento est quoque destituta distinctio inter quemque Pontificem et Pontificum seriem, ac successionem quasi infallibilitatis promissio a Christo facta sit Petri successoribus collective, et non successoribus singulis. Concipi enim nequit quomodo possint Pontifices singuli ex cathedra errorem in fide credendum Ecclesiae proponere, et tamen in eorumdem Pontificum serie fidei indefectibilitas permaneat. Praeterea non solum seriei, sed Pontificibus singulis munus commisit Christus confirmandi fratres in fide. Ille autem qui deficiat, quomodo hos poterit confirmare?

(1) Hoc est argumentum, quod copiose ac erudite evolvit Card. Orsi duobus vol. seu tom. 1. *prima et secunda parte* op. *De irreformabili Rom. Pontificis in definiendis fidei controversiis judicio.* Id enim luculenter ostendit de Macedonianis, Nestorianis, Eutychianis etc.

damnatos, statim ut haereticos habitos esse, antequam cogerentur Æcumenica Concilia (1); plures quoque errores inter hæreses computatos ex sola Romanorum Pontificum auctoritate; Œcumenicorum Conciliorum decreta ante Romanorum Pontificum confirmationem tanquam reformationi obnoxia semper aestimata fuisse, imo interdum reiecta huius confirmationis defectu (2); demum universam Ecclesiam Hormisdae formulam, in qua infallibilis Sedis Apostolicae auctoritas adstruitur, acceptasse (3), atque hanc Petri Successorum praerogativam in publica Liturgia assertam fuisse (4). Quae quidem omnia apertissime Romani Pontificis infallibilitatem, eamque antecedenter et independenter ab episcoporum consensu demonstrant. — Imo haeretici ipsi hanc Romani Pontificis dotem, quamdiu spes ipsis affulsit evadendi promeritam damnationem, agnoverunt, uti constat ex agendi ratione Nestorii, Eutychetis, Pelagii, atque Coelestii. Adeo nempe firmum ratumque erat in antiqua Ecclesia infallibile esse Romani Pontificis magisterium in fidei articulis decernendis. — Hinc iure merito saeculo XIII. Angelicus Doctor antiquitati, et potissimum Sacris Scripturis inhaerens absolutam

(1) Cons. Petitdidier *De Auctoritate et infallibilitate Summorum Pontificum* cap. 2. seqq.

(2) Cons. Ibid. cap, 16. et Card. Orsi op. cit. tom. 1. part. 2. cap. 2. seqq.

(3) Cons. Ballerini *De vi et ratione primatus* cap. 13. §. 16.

(4) Ballerini *in App. de infallib. Pontificia in defin. dogmat.* § 12 in conclus.

Summi Pontificis potestatem et inerrantiam disertissime affirmabat. (1)

Ex his omnibus patet a vero longe abesse Ermesium dum asserit « doctrinam de Pontificia in» fallibilitate antiquioribus saeculis fuisse ignotam. » Potius dicendum contrariam doctrinam antiquioribus saeculis in Ecclesia fuisse ignoratam, quum nonnisi saeculo decimoquinto orta haec sit atque in orbem catholicum invecta, occasione scilicet luctuosissimi Schismatis Occidentalis; quod aperte testantur illi ipsi, qui omnium primi eam tradiderunt aut propagarunt, scilicet Petrus de Alliaco, et Io.

(1) Inter plures Angelici Doctoris textus, qui hac in re possent afferri, sufficiant qui sequuntur: « Unde et Dominus (Luc. » XXII). Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit: » *Ego pro te rogavi etc.* Et huius ratio est quia una fides » debet esse totius Ecclesiae, secundum illud (1 Cor. I) *Id » ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata*, quod » servari non posset nisi quaestio fidei exorta determinaretur » per eum qui toti Ecclesiae praeest, ut sic eius sententia a » tota Ecclesia firmiter teneatur » *Sum.* 2ª 2ae *quaest.* 1 *art.* 10 *ed. ven.* 1593. — Idem ait: « Et inde est quod sola Ecclesia » Petri.... semper fuit firma in fide: et cum in aliis partibus » vel nulla fides sit, vel sit commixta multis erroribus, » Ecclesia tamen Petri et fide viget, et ab erroribus munda » est. Nec mirum, quia Dominus dixit Petro: Luc. XXII, 32. » *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* » Opuscula VI in symb. apost. opp. tom. XVII p. 70 ed. ven.

Eodem saeculo XIII S. Bonaventura doctor Parisiensis aeque ac S. Thomas eamdem tum de auctoritate, tum de infallibilitate Romani Pontificis mentem tenet ac doctrinam. Cf. S. Bonav. *In Expos. Reg. Fratrum Minorum, cap.* 1, *tom. VII. p.* 332, *Romae* 1596, atque *in Apol. Pauperum*, *respons.* 1, *cap.* 1, *p.* 413.

Gerson eius discipulus (1). Ante illam aetatem nullus fuit Sanctus Pater, nullum Concilium Œcumenicum aut particulare, nullus theologus, nullus auctor catholicus, qui expresse doceret definitiones *ex Cathedra* Summorum Pontificum in rebus fidei et morum errori esse obnoxias neque fideles obligare. Contra quotquot rem hanc pertractarunt, publice et solemniter professi sunt Pontificum definitiones vim obligandi in Ecclesia habere, nec minus quam ipsa Concilia Generalia auctoritate pollere. Theologi et Canonistae omnes hanc doctrinam tenuerunt, doctores Facultatis Parisiensis et aliarum Theologicarum Facultatum tanquam doctrinam indubitatam tradiderunt; et quod maius est, Episcopi eidem semper adhaeserunt, eamque in praxi secuti sunt, quin ullum unquam dubium de eius veritate moverent. Quod si Gerson aliique pauci coevi Theologi contrariam opinionem nonnullas in scholas Theologicas invexerunt, dicendum est id eos fecisse vel novitatis amore (2), vel quia falso putabant illam efficacius conducere ad Orientale Schisma restinguendum.

(1) De Pontificiae infallibilitatis persuasione aetate sua nempe saeculo XV ita testatur Gerson ipse: « Ante celebra- » tionem huius sacrosanctae Constantiensis Synodi sic occu- » paverat mentes plurimorum, literalium magis quam lite- » ratorum, ista traditio, ut oppositorum dogmatizator fuisset » de haeretica pravitate vel notatus vel damnatus. » Gerson *De Potest. Ecclesiae et de Orig. Iuris Consid. XII* Opp. vol. 2 col. 247.

(2) Cons. Petitdidier. *De auctoritate et infallibilitate Summorum Pontificum*, cap. 1.

Negamus, « doctrinam de infallibilitate Pontificia « posterioribus saeculis ignotam fuisse. » Siquidem hanc doctrinam, quam firme tenuerunt omnes antiqui, tueri et docere perrexerunt tum saeculo decimo-quinto Theologi Catholici Gersoni coevi, uti Cardinalis a Turrecremata, Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, in sua Summa parte tertia, tit. 23 c. 8 §. 2 (1), tum qui posterioribus temporibus floruerunt. Et quamvis doctrina Gersonis et cardinalis de Alliaco caliginem quamdam plurium Theologorum mentibus offuderit, et quaedam facultates Germaniae et Poloniae se ad illorum opinionem adduci permiserint; postea tamen ad pristinam doctrinam totius traditionis auctoritate roboratam redierunt, et in infallibilitatem Romani Pontificis consenserunt; ita ut sub initium saeculi decimi octavi scribere non dubitaverit clar. Petitdidiér, a magna iam temporum serie nullam Universitatem, nullum Theologum extra Galliam (de qua tamen inferius dicemus) reperiri, qui infallibilitatem Summorum Pontificum non tueretur (2). Quod pariter testatus est sapientissimus Pont. Benedictus XIV anno 1748 scribens, doctrinam de R. Pontificis ex cathedra definientis infallibilitate esse extra Galliam *ubique receptam* (3). Idem quoque tradidit S. Alphonsus

(1) Cons. Petitdidier. Op. cit cap. XII. et XV § 5.

(2) Petitdidier. Op. cit. cap. 15 § 5. — Liguori. *Theol. mor.* Lib. I *Tract. De Leg.* Dub. II. Dissert. *De infallibilitate Papae.*

(3) In epistola ad supremum Hispaniae Inquisitorem die 31 iulii 1748. — Bellarminus *Controv.* lib. 4. *De Rom. Pont.* — Billuart Tom. II, dis. 4 c. 5

de Liguori loc. inf. cit. Coeterum doctrina hæc posterioribus etiam saeculis frequentissimos ac strenuos patronos semper habuit, eamque docuerunt cum Summis Pontificibus scholae Theologicae, et universi Ordines religiosi, praesertim S. Dominici, S. Francesci, et Soc. Iesu, necnon universitates fere omnes(1).

(1) Haec doctrina fere omnium Theologorum auctoritate fulcitur ab Alberto Magno ad S. Alphonsum de Liguori. Praeter S. Thomam, cuius auctoritatem superius retulimus, paucorum sententiam sufficiat innuere. — Suarez *De fide disp.* X, Lect. 8 inquit: « Veritas catholica est, Pontificem definientem ex » cathedra esse regulam fidei, quae errare non potest, quando » aliquid authentice proponit universae Ecclesiae: ita docent » hoc tempore omnes catholici doctores, et censeo esse rem » de fide certam. » — Bellarminus Lib. IV. *De Rom. Pont.* ait: » Pontificem non posse ullo modo definire aliquid haereticum » a tota Ecclesia credendum, est comunissima opinio fere » omnium catholicorum ut B. Thomae, Th. Waldewsis, Io- » annis de Turrecremata, Driedonis, Caietani. Hosii, Ioannis » Eckii, Ioannis a Lovanio, Petri a Soto, Melch. Can. etc. » Subdit autem ibid. Bellarminus, contrariam sententiam, scilicet Pontificem posse docere haeresim, si absque Concilio definiat, esse omnino erroneam et haeresi proximam. — Demum S. Alph. de Liguori Theol. Mor. *De infallibitate Papae* inquit: « Quarta sententia communis, cui nos subscribimus, est » quod licet Romanus Pontifex quatenus particularis persona » sive privatus doctor possit errare (sicut etiam est fallibilis, » in quaestionibus meri facti, quae ex hominum testimonio » praecipue pendent); cum tamen Papa loquitur tamquam do- » ctor universalis definiens ex cathedra, nempe ex potestate » suprema tradita Petro docendi Ecclesiam, tunc dicimus » ipsum in controversiis fidei et morum decernendis omnino » infallibilem esse. »

Nunc vero cum alibi (1), tum in Gallia communissime obtinet (2); et, quod magis pendendum, universali, vere dixerim, Episcoporum suffragio gaudet, prout nullo negotio erui potest ex Synodis quamplurimis Nationalibus et Provincialibus, inter quas meminisse sufficiat Synodum Nationalem totius Hiberniae Thurlesiae habitam anno 1850, Concilia Provincialia Vestminster celebratum anno 1852, Coloniense anno 1860, Coloczense anno 1860, Pragense an. 1860, Utrechtense anno 1865, Baltimorense anno 1866, praesertim vero explicitas et solemnes declarationes ab ingenti Episcoporum numero coram gloriosissimo Pontifice Pio IX Romae editas, tum die 8 decembris anno 1854 in definitione dogmatis Immaculati Conceptus B. M. V., tum anno 1862 Sacro Pentecostes die in

(1) Praeter auctores superius laudatos, cons. inter recentiores, Perrone e Soc. Iesu *Praelect. Theol.* Vol. II. — It. Perrone *De Divinitate D. N. I. C.* Vol. III. — A. Martinet *Institut. Theol.* tom. 3. — Albertus Knoll Ord. Min. S. Franc. Cappuc. *Institut. Theol. Dogm. Generalis.* — Fr. Narcisso Puig, et Fr. Francisco Harriè Ord. Praed. *Institut. Theol. ad mentem D. Thomae Aquinatis*, tom. I. Barcinone 1861. — *Theol. Fundamentalis Institutiones* Taurini 1866-67, pars. II c. V app. II, quae traduntur in Seminario Archiepiscop. Taurinensi. — Manning Arcivescovo di Westminster, *Tradizione della Chiesa intorno all' Infallibilità del R. Pontefice*, Napoli 1869. — *De infallibilitatis Romani Pontificis definitione Synopsis* Augustae Taurin. 1870, — necnon auct. inf. cit.

(2) Cens. Bouvier *Institutiones Theol. De vera Ecclesia* Part. III, cap. I art. 4 § 2 sect. II. — A. Martinet op. cit. pag. 171 — Albertus Knoll, op. cit. § 239. — *Theol. Fund. Instit. cit.* — Et ita passim, ut nuperrimi Clemens Schrader Societatis Iesu, Vincentius M. Gatti Praedicatorum Ordin., etc.

solemnitate canonizationis B. Martyrum Japonensium, tum anno 1867 occasione solemniorum centenarii gloriosi martyrii Principis Apostolorum (1).

Falsum est « in Galliis doctrinam Pontificiae in« fallibilitati contrariam semper universim viguisse. » Etenim certissimis documentis constat a tota retro antiquitate usque ad annum 1682, quo famosa Cleri Gallicani *Declaratio* prodiit, Gallicanam Ecclesiam et Academiam Parisiensem eamdem doctrinam constanter professam fuisse de R. Pontificis in rebus dogmaticis infallibilitate (2). Post Declarationem

(1) Eosdem de Pontificia infallibilitate sensus ex omnibus orbis partibus aut singuli aut consociati, datis ad Papam litteris, aperuerunt absentes Antistites. Innuere sufficiat inter Italos, quibus Romana tunc peregrinatio a politicis imperantibus interdicta fuit, Pastores Ecclesiasticae Provinciae Taurinensis, Pisanae, Umbriae, Neapolitanae etc. — Nec alia est mens et sententia Summi Pontificis Pii IX, ut colligi potest ex eius Encyclica diei 9 nov. 1846. — Cons. Opus cui titulus *L' Episcopato e la Rivoluzione in Italia*, *ossia Atti collettivi dei Vescovi Italiani.* Mondovì 1867.

(2) Hyacintus Serry in app. historica *De mente Ecclesiae Gallicanae et Academiae Parisiensis* circa *Romani Pontificis infallibilitatem*, quam adiecit dissertationibus duabus *De Romano Pontifice* n. 15. « Anno tantum 1682, inquit, » novos de Romanorum Pontificum infallibilitate sensus in» duit Clerus gallicanus et ab avita suorum doctrina deflexit, » dum solemnem de ecclesiastica potestate declarationem in » comitiis generalibus edidit..... *En primam* antiquae do» ctrinae de Rom. Pontif. infallibilitate *Desertionem*, publico » cleri nomine solemniter factam... En veram certamque mu» tatae solemniter hoc in capite sententiae epocham. » Amplissimis vero saeculorum omnium documentis a tota quoque

vero anni 1682, etsi contrariam doctrinam docere publicae scholae a gubernio adigerentur, tamen ipse Clerus Gallicanus perantiquam doctrinam saltem indirecte asserere non destitit, eamque sive implicite, sive explicite propugnarunt Galliarum Antistites et Theologi plures. Cum enim e latebrosa Iansenistarum officina prodiit *conscientiae casus*, quo adserebatur Pontificiis decretis deberi solummodo externum *obsequiosum silentium*, non autem interiorem assensum, illico contra hanc sententiam insurrexerunt plures Gallicani Praesules, et nominatim Bossuetius et Cardinalis de Noailles; atque re ad Apostolicam Sedem delata, Clemens XI (an. 1705) Constitutione *Vineam Domini* pronuntiavit, *Apostolicis Constitutionibus* (contra Iansenii errores) OBSEQUIOSO SILENTIO

gallicana Ecclesia, et ab academia parisiensi ad annum usque 1682 deductis avitam hanc nobilissimae illius Ecclesiae doctrinam perseverasse evincit. Nec minus luculenter idipsum ostendit Card. Orsi *De irref. R. Pontif. iudicio* tom. 2 lib. 4 cap. 17 seqq. — Muzzarelli in op. *Il buon uso della logica* etc. Opusc. 3. *Primato ed infallibilità del Papa.* — Inter omnes vero eminet clar. Soardi in regio Taurinensi Athaeneo prof. in opere *De suprema Romani Pontificis auctoritate hodierna Ecclesiae Gallicanae doctrina*, Avenione 1747, ubi postquam in erudita praefatione ostendit hanc semper inhaesisse Ecclesiae gallicanae sententiam de Pontificia in decretis dogmaticis infallibilitate, documentis omnigenis demonstrat, etiam ab anno 1680 usque ad aetatem suam strenuos semper assertores et vindices avitae doctrinae in Ecclesia Gallicana viguisse. — Billuart *Vol. II. Dissert. IV. art. III.* § 5. — Perrone *Prael. Theol.* Pars I. Sect. II. cap. IV. — Roskovani *De Rom. Pont.* tom. II. p. 35 et p. 135. — Aguirre *Def. Cath. S. Petri.*

minime satisfieri; sed damnatum... Ianseniani libri sensum... ab omnibus Christifidelibus, ut haereticum, NON ORE SOLUM, *sed et corde rejici ac damnari debere.* Haec Constitutio in universa Gallicana Ecclesia mox suscepta, et in omnibus Dioecesibus promulgata fuit. Vel ipse Bossuetius famigeratae *Declarationis* scriptor, in oratione habita coram coetu Ecclesiasticorum, qui illi suffragati fuerant, ita locutus est: *Quod perpetuae aedificationis esse debet fundamentum, finem habere non potest. Petrus semper in suis successoribus vivet, semper in sua Cathedra loquetur.... Petrus est adhuc in Successoribus fundamentum fidelium.* — Praeterea avitam Pontificiae infallibilitatis doctrinam explicite et conceptis verbis propugnarunt in Galliis Fènelon, Habert, Haller, Billuart aliique; qui postremus circa medium saeculi elapsi scribebat: *et quot adhuc nunc pro eadem veritate stant, qui ex obedientia tacent?* Idest ne contradicant *Declarationi* politica auctoritate suffultae.

Contra doctrinam Pontificiae infallibilitatis, nihil inferre potest Ermesius « ex celebri *Cleri Galli-* » *cani Declaratione*, quae prodiit anno 1682. » Origo enim et exitus huius famosæ *Declarationis* manifeste ostendunt hanc nullius roboris esse. Revera cum Galliarum Rex Ludovicus XIV *Regaliae*, idest iuris extensionem sibi arrogasset in Beneficia Ecclesiastica, et Innocentius XI strenuo ei obsisteret, potentissimus princeps acerbas simultates contra Pontificem exercere coepit. Hinc 34 Galliarum Episcopi cum pluribus aliis Ecclesiasticis viris *mandato*

Regio (1) Parisiis coacti die 19 martii 1682, quatuor articulos sanxerunt sub nomine *Declarationis Cleri Gallicani De Ecclesiastica Potestate*, quorum postremus est ab Ermesio in casu relatus. Iam vero huiusmodi *Declaratio* nullius auctoritatis est, nec minimum quidem officit doctrinae de Romani Pontificis infallibilitate. Illa enim neque dici potest, neque est, ut observat Billuart, definitio *Ecclesiae Gallicanae*, quia ex 130 Episcopis Gallicanae Ecclesiae, tantum 34 huic conventui adfuerunt, nec alii advocati sunt, et qui ab absentibus comprovincialibus missi sunt, non habebant auctoritatem de doctrina iudicandi et definiendi. - Praeterea praedicta *Declaratio* ad Parisiensem Academiam transmissa, nequaquam acceptata fuit, sed ab huius tantum Notario et Scriba ex Regis et Senatus *jussu* in Academiae tabulis inscripta ac dein in thesibus inserta (2). — Cum illius *Declarationis* fama promulgari coepit, fatente vel ipso Gilberto *De Choiseuil* Episcopo qui dictis comitiis interfuit, extra Galliam totus orbis christianus obstupescere et reclamare visus est (3). — In ipsa quoque Gallia non pauci praedictam *Declarationem* reprobarunt, atque se ut strenuos assertores et vindices avitae doctrinae

(1) Id subscriptores notarunt in ipsius *Declarationis* praeloquio.

(2) Sic testatur Hyacintus Serry eiusdem Parisiensis Academiae Doctor, qui circa id tempus studium licentiae decurrebat Opusc. *De Romano Pontifice*, pag. 265. — Billuart Dissert. *De Summo Pontifice* art. IV § 8.

(3) Rohrbacher, *Storia Universale della Chiesa*, Vol. 14 lib. 88. p. 282, 283. *Edit Taur.* 1862.

ostenderunt: imo vel Episcopi *Declarationis* auctores sententiam suam postea revocarunt in litteris ad Innocentium XI. Quod pariter praestiterunt quadraginta circiter eorum, qui comitiis illis ex utroque ordine Ecclesiastico interfuerunt, datis litteris ad Innocentium XII. (1) — Insuper Innocentius XI eodem anno 1682 per litteras in forma Brevis, Acta Gallicani conventus improbavit, rescidit, irrita et inania declaravit. Eius sententia confirmata fuit solemniori Constitutione ab immediato successore Alexandro VIII anno 1690, a Benedicto XIV anno 1748, et deinde anno 1794 a Pio VI in Bulla *Auctorem Fidei* contra Synodum Pistoriensem, quae illam Gallicanam *Declarationem* adoptaverat. — Demum ipse Rex Ludovicus XIV in epistola ad laudatum Innocentium XII testatur se praecepisse, ut deinceps quae in *Declaratione* continebantur, non observarentur. At quoniam primum suum edictum anni 1682 expresse non revocavit, articuli illius Declarationis semper habiti fuerunt ut lex proprie dicta in publicis illius Nationis comitiis (*Parlamenti*), eorumque observantia iniuncta usque ad annum 1789, quo gallica perturbatio orta est. Quod frustra renovare nisus est Napoleon I tum *Articulis* sic dictis *organicis*, additis Conventioni an. 1801,

(1) Cons. Soardi in Regio Taurinensi Athaeneo iuris utriusque Doctor in eximio opere cit. lib. II. pag. 118, 119. — Jacobus Hyacintus Serry *De Romano Pontifice*, in Appendice Historica *De mente Ecclesiae Gallicanae etc.* Cap. XVIII. — Card. Litta, *Lettere sui quattro art. detti del Clero di Francia.*

tum anno 1809 (1). — Igitur praedictae *Declarationis* ortus et exitus, quem breviter innuimus, manifeste ostendunt eamdem nullius esse auctoritatis; quin imo argumentum inde deduci potest in confirmationem doctrinae de Romani Pontificis infallibilitate.

Ex his quoque patet nullam vim habere « articu» lum quartum eiusdem *Declarationis* » ab Ermesio in casu relatum. Praeterquamquod Articulus ille sibi non cohaeret; quandoquidem si doctrinalia Pontificis decreta ante *Ecclesiæ consensum* Episcoporum iudicio subjici et improbari queunt, praecipuae partes in *fidei quaestionibus Summi Pontificis* non sunt (ut Articulo ipso affirmatur), sed potius illius, cui potestas tribuitur Pontificia ´Decreta dijudicandi et rejiciendi. Infallibilitas autem Pontificiis iudiciis indulta *post Ecclesiae consensum*, nihil Summo Pontifici tribuit, quod non conveniat cuilibet Episcopo aut privato Doctori; horum enim sententia, accedente Ecclesiae consensu, iudicium irreformabile pariter evadit. — Insuper ille Articulus Gallicanae doctrinae alia etiam ratione sibi ipse repugnat; etenim ex eodem Articulo et Articulorum praeloquio, *Pontificis Decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinent,.... eisque debetur ab omnibus Christianis*

(1) Praeter cit. auct. cons. Scavini *Theolog. Moral. lib. 4. app. XXI ediz. XI*, ubi *Declarationis* historiam, damnationem, et consectaria rite texit. — Gèrin *Ricerche storiche sull'assemblea del Clero di Francia del* 1682. Opus a Pio IX commendatum Brevi 7 febr. 1869. — Manning Op. cit. *a pag.* 38 ad 45. — Rohrbacher *Storia cit.* Vol. 15 lib. 90 p. 155. — Id. lib. 91 pag. 244.

obedientia: ex concordi autem definitione Innocentii X. et Clementis XI. summo plausu a Gallicanis Episcopis recepta, obedientia, quae Pontificiis definitionibus debetur, in mentis obsequio consistit, ita ut *corde et animo* iisdem assentiatur et non *obsequioso* tantum Iansenistarum *silentio.* Ergo illa iudicia ex se et propria auctoritate infallibilia sint oportet.

Ex hactenus dictis pronum est colligere doctrinam de infallibitate Romani Pontificis ex *Cathedra* definientis in rebus fidei et morum omnino certam esse, cui nos ultro subscribimus. (1)

Demum ad ea quod spectat, quae subdit Ermesius « Concilium Vaticanum operam potius dare debere, » ut, quod in votis omnium est, Romanus Pontifex » cum hodierno progressu, cum liberalismo, et re- » centi *civilitate* se se reconciliet et componat» summatim respondemus, si agatur de vero progressu

(1) Non abs re erit addere doctrinam hanc mirifice confirmari ex facto, eoque unico in tota Ecclesiae, ne dicam humani generis historia, ut ex tot Romanis Pontificibus, qui a B. Petro usque ad Pium IX, nempe circiter 257 Ecclesiam rexerunt, ne unus quidem reperiri possit, qui authenticis documentis decretisque ad universam Ecclesiam datis, quidpiam erroneum docuerit vel definierit circa fidem et mores, quod subsequente Ecclesiae iudicio correctum fuerit et emendatum. — Cons. Ballerini *De vi et Ratione Primatus* cap. XV. — Gonzalez *De infall. Rom. Pont.* Disput. XV sect. VI. § 1. — Billuart Dissert. *De Summo Pont.* art. VI § 2. — Perrone *Praelect. Theol.* Vol. II. Pars I. sect. II. cap. IV. — Item *De Divinitate D. N. J. C.* Vol. III. cap. II. — Manning. *Op. cit.* pag. 27.

sive litterario, sive scientifico, sive bonarum artium, sive civilis administrationis, Romani Pontifices semper in eo adprobando sibi constiterunt, et nulla indigent reconciliatione et compositione. Quamvis enim ipsi Religionis et fidei custodes et vindices potissimum sint, nunquam tamen praetermiserunt studia litterarum scientiarumque, et, quidquid conferre potest ad verum societatis bonum, ubique promovere. Siquidem Apostolica Sedes verae civilitatis continenter fuit patrona et altrix, atque historiae monumenta eloquentissima testantur omnibus aetatibus ab eadem non in Europae tantum provincias, sed in remotissimas quoque et barbaras terrarum orbis regiones veram fuisse invectam morum honestatem, disciplinam, sapientiam.(1) Quis autem posset tot tantaque Romanorum Pontificum in optima quaeque studia et artes merita recensere? Sufficit hic meminisse celebriora Europae Athenaea nonnisi ex sententia, favore, et assensu Romanorum Pontificum fuisse instituta, quod ne ipsi quidem acatholici diffitentur. (2)

Quod si Romae tantum sistamus, incensi huius Pontificum studii testes locupletissimi sunt amplissimae bibliotecae, Vaticana praesertim; Academiae scientificae et litterariae; monumenta per eos detecta

(1) Cons. Allocutionem habitam a Pio IX in Consistorio 18 martii 1861.

(2) Cons. Perrone, Praelect. Theol. vol. III pars III. sect. I cap. II. — Collectio Casuum *de re dogmatica etc. qui resolvebantur in publicis Collationibus Theol. habitis in Ecclesia Cathedrali Montisregalis*, pag. 12 et 145 seqq.

et erecta in urbe; musaea demum, ut caetera praetermittamus, Pio-clementinum, Pianum, ac Gregorianum, undique comparatis Ægyptiorum, Etruscorumque monumentis ad publicam utilitatem. Quid vero esset dicendum de tabulis egregie pictis, nummis omnis generis, aliisque innumeris ab iisdem Pontificibus summa cura collectis ad Urbis ipsius et Religionis ornamentum? In vero progressu Romana urbs et Pontificium regnum nulli urbi ac regno cedit, quin etiam haud paucis praecellit. Comparatio institui facile potest ope tabularum, quas *statisticas* vocant (1). Ex his patet Pontificiam ditionem, si eius exiguitatis ratio habeatur, litterarum et bonarum artium cultu, doctorum virorum numero, industriae laude caeteris ditionibus praestare; eamdemque publicae beneficientiae institutis abundare, quibus pauperum, infirmorum, captivorum, derelictorumque juvenum necessitates sublevantur. Constat etiam majore cura et vigilantia socialem ordinem et morum disciplinam ibi servari, crimina praecaveri, eorumque occasiones amoveri; quo fit ut minor quam alibi sit numerus hominum flagitiosorum. Denique, ut alia mittamus, comperta res est, nullum esse regnum, in quo subditi tributis,

(1) Cons. Perrone *De Divinitate D. N. J. C.* Sect. alt. cap. V. art. VI. § III. — Dupanloup Vescovo d' Orlèans Opuscolo *La Convenzione e l' Enciclica* Part. II. § 5. *Il Progresso e la Civiltà Moderna.* — Margotti *Le vittorie della Chiesa nel 1.° decennio del Pontificato di Pio IX.* Torino 1857. — Id. *Roma e Londra Confronti* Torino 1858. — *Un'occhiata all'Inghilterra* Torino 1856.

vectigalibus, aliisque ejusmodi oneribus minus graventur. Quae omnia sat superque ostendunt nihil causae esse cur Romanus Pontifex cum progressu et civilitate reconcilietur (1).

(1) L'immortale Pio IX mentre provvede alla fede ed alla disciplina col Concilio Ecumenico, vuole anche provvedere alla grandezza e maestà del culto esterno con una romana Esposizione di arti cristiane oggidì aperta.

È opportuno riferire un brano della lettera su Roma dei Papi nel 1870, che l'illustre Cesare Cantù reduce da Roma indirizzava il 19 dello scorso febbraio all'*Unità Cattolica.* Dopo d'aver parlato dell'*acqua Pia*, che con ardimento romano si conduce ora alla capitale del mondo cattolico soggiunge:

Avrei gran voglia di profittare dell'occasione per parlarle di altre grandiose opere che si compiono adesso a Roma, senza citare nè le scoperte insigni di monumenti e di edifizi antichi, nè i restauri di moltissime chiese, i bellissimi dipinti a Santa Maria in Aquiro, a Sant'Agostino, a San Clemente, a Santa Lucia del Gonfalone, alle Loggie Vaticane. Tal sarebbe il palazzo della Cassa di risparmio; tale la nuova stazione; tale il quartiere tutto nuovo ch'è dovuto all' intraprendenza di Monsignor De Merode; tale la strada verso San Pietro di Montorio, e l' ospedale civile e il militare, e la fabbrica de' tabacchi. Una Società s'applica a rintegrare il porto di Ostia; un' altra «d'in» coraggiamento per migliorare il suolo, l'agricoltura e la » pastorizia nell'Agro Romano, » comincerà col costituire nelle vicinanze di Roma un podere sperimentale, fisserà premi per le colture e macchine nuove, curerà il rinsanimento dell' aria e il prosciugamento de' terreni, e l' aumento della classe agricola, adoprandovi capitali, esposizioni, concorsi, libri.

E non finirei sì presto se la discrezione non me lo imponesse. Non voglio però tacere con quanta compiacenza di tali opere degnasse ragionarmi il Santo Padre quand'io gli dissi ch' ero venuto a vedere come la religione fosse avversa ai veri progressi della moderna civiltà!.....

C. Cantu'.

Si vero sermo sit de progressu et *civilitate* prout ab hodiernis liberalismi sectatoribus praedicatur et in praxim deducitur, Romanus Pontifex nec potest nec debet cum iis se reconciliare et componere. Siquidem hodierni liberalismi sectatores progressum et civilitatem reponunt in teterrimis opinionibus, erroribus, et principiis, quae Catholicae Religioni eiusque doctrinae, nec non bono ipsius societatis omnino adversantur. Revera iuxta ipsos *progressus* et *civilitas* idem est ac Ecclesiae iura violare, licentiam cuilibet tribuere pestilentissimos errores verbo et scripto docendi. *Progressus* et *civilitas* est falsis religionibus favere, earumque professoribus et institutis subsidia largiri; e contra veram Religionem oppugnare, Religiosas familias quamquam de re christiana non solum, sed et civili et litteraria benemeritas disperdere, Catholicam Ecclesiam suis possessionibus spoliare, et salutarem ipsius efficaciam pro viribus impedire. *Progressus* et *civilitas* est Ecclesiae ministros etiam amplissima dignitate insignitos, nec non laicos viros, qui Religionis et iustitiae causam alacriter defendunt, vexare, in exilium, carcerem detrudere. *Progressus* et *civilitas* est pravis cupiditatibus fraena laxare, licentiam et morum corruptionem alere et fovere. Iamvero nemo sanae mentis non videt cum huiusmodi moderno *progressu* et *civilitate*, unde tot tantaque mala in Religionem et ipsam civilem societatem proficiscuntur, Romanum Pontificem nec posse, nec debere ullo modo se reconciliare. *Quae enim*, uti sapientissime clamat

Apostolus (1), *participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras, quae autem conventio Christi ad Belial?* (2)

· Quapropter Pius IX in laudata Allocutione 18 martii 1861 haec dicebat: *Postulant ut Romanus Pontifex cum progressu, cum liberalismo, ut vocant, et recenti civilitate se reconciliet et componat. Iamvero ab iis, qui pro Religionis bono Nos ad hodiernae civilitati dexteram porrigendam invitant, quaerimus utrum facta talia sint, quae Christi in terris Vicarium ab ipso ad coelestis suae doctrinae*

(1) Ep. II ad Corint. v. 4 et 15.

(2) Cons. laud. Allocut. Pii IX 18 martii 1861, quae incipit *Jamdudum.* — Scavini, *Novum Manuale*, *Compendium Iuris Canonici*, pag. 58 et seqq. — It. Scavini, *Theol. Mor.* vol. II, n. 941, Vol. IV n. 167. *Ed. XI.* — Dupanloup opuscolo *La Convenzione del 15 settembre e l'Enciclica dell' otto dicembre* per Monsignor vescovo d'Orlèans Part. II. § 5. *Il Progresso e la Civiltà moderna*, ubi inter alia egregie dicta, haec leguntur: ....*Come mai immaginarvi, che Egli* (il Papa) *condanni ciò, che vi può essere di buono nel progresso, di veramente utile nella civiltà moderna, di veramente liberale e cristiano nel liberalismo? Questa è una pazza invenzione e più ancora trattandosi di Pio IX è una ingratitudine, e la più solenne ingiustizia.... Non siete voi falsi liberali, che facendo sì gran pompa di quelle belle parole,* Libertà, Progresso, Civiltà, *sempre ne abusate? Non son queste divenute oggidì la consegna, la parola d'ordine delle vostre bande rivoluzionarie ed il ritornello continuo di tutti i vostri discorsi i più aggressivi ed i più empi?.... No, il Papa non deve riconciliarsi e venir a patti col progresso, col liberalismo e con la civiltà moderna, quali voi li intendete. Son queste cose invece, che debbono a Lui ravvicinarsi accordandosi colla giustizia.......*

puritatem tuendam, atque ad agnos ovesque eadem doctrina pascendos et confirmandos divinitus constitutum, possint inducere, ut sine gravissimo conscientiae piaculo et maximo omnium scandalo se cum hodierna civilitate consociet, cuius opera tot nunquam satis deploranda eveniunt mala..... Quibus summatim enumeratis, ita concludit: *Cum porro ita res se habeat, antequam loquendi finem faciamus, coram Deo et hominibus clare aperteque declaramus, nullam prorsus adesse causam quare cum quopiam nos reconciliari debeamus..... Itaque si iniusta a Nobis petantur, praestare non possumus: si vero postuletur venia, illam ultro libenterque impartiamur.*

Hinc merito in Syllabo damnata fuit propositio LXXX, quae enunciat: *Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo, et cum recenti civilitate se se reconciliare et componere.*

